

DE
CORRVPTELIS
ECCLESIARVM
APOSTOLICARVM,

ALTDORFI,

d. 13. Maj. Ann. MDCCV.

disputabunt

PRÆSES

CHRISTOPHORVS *Sonntag/*

SS. THEOL. D.

EJVSDEMQVE PRIMARIVS ET GRÆCÆ
LINGVÆ PROFESSOR, NEC NON ECCLESIAE
ANTISTES, ET ORDINIS SVI DECANVS,

⁊

RESPONDENS

JOHANNES JODOCVS BECK,

Noribergensis.

a. CXIV. 54.

Literis HENRICI MEYERI, Universitatis Typographi.

Coll. diss. A
114, 54

DE

CORRYPTELLIS

ECCLESIAARVM

AFCOLICARVM

ADDORFI

S. M. A. M. D. C. C. V.



P. R. N. S.

CHRISTOPHERUS

ES. THOMAS

EVANGELII. KRIMARVS. IN. GRÆC.

LANGVAGIO. S. M. A. M. D. C. C. V.

AVRANTIS. DE. S. M. A. M. D. C. C. V.

8

131

JOHANNES. S. M. A. M. D. C. C. V.

NOBILIS

PAULUS. S. M. A. M. D. C. C. V.



PRÆFAMEN.



Admiranda Numinis providentissimi œconomia est, quæ in propagatione & conservatione orthodoxæ doctrinæ conspicitur. Fecundum igitur accidit piis animis, singula Ecclesiæ Novi Testamenti secula peragrantibus, observare, qui Custos Israël malis ejusdem medendis nunquam non invigilarit. Ut uno & altero duntaxat specimine dictis fidem conciliem, intueamur, age, in primum seculum. Vix dum abrogatum Judæismum innovare & in vitam quasi revocare Satanas conabatur, quando observatio legis ceremonialis & moralis, tanquam ad salutem æternam necessaria, tradebatur; & ecce! Concilium Hierosolymitanum, Act. XV. recensitum, futurarum Synodorum, earumque legitimarum cynosura, aliud Spiritui Sancto & Assessoribus Θεοπνεύστis placere, conclusit. Seculo secundo præter alias hæreses nefandas invaluerat Montanismus, cui elenchus Ecclesiæ publicus ex Verbo Dei dictatus est cum primis in Concilio urbis Hierapolitanæ, in Asia sub Apollinari congregatō. Seculo tertio invehabatur Novatianismus, cui in Concilio potissimum Carthaginensi est contradicendum, Scripturis diu ex utrâque parte prolatis, & Episcopis ibidem congregatis fideliter adminiculante Cypriano. Seculo quarto turbaverat Orientem Arianismus, imò totus pene orbis mirabatur, sese tam repente factum Arianum; quin haud Christi modo, sed & Spiritus Sancti vera divinitas impetebatur à duobus Satanae organis, Ario & Macedonio; Oecumenica igitur Concilia duo, Nicenum & Constantinopolitanum I. secundum unicam Verbi divini normam aliud definiendo, Satanam pessunderunt. Jamque adeo quinque secularem arma veteris Ecclesiæ victoriam ab hoste reportarant, cum non modo hostis gratia Pelagius, sed & unionis personalis exauctoratores, Nestorius atque Eutyches, studio contradicendi inducti, turbas dedissent, Synodis

nationalibus, Milevitana & Arausicana, & œcumenicis, Ephesi-
na atq; Chalcedonensi, institutis: en! seculo sexto cum recoque-
rentur Nestoriz ac Theodoriz Mopsuesteni errores de Maria non Θεο-
τόκος, de duabus in Christo subsistentiis, quodq; alius sit Christus,
& alius Dei Verbum, de duplici adoratione, quâ Christus veniat
adorandus &c. ei recidiva medicatus est Deus per Constantino-
politano Concilium, quod Generale quintum nonnullis audit, sub
Justiniano habitum. Sed & seculo septimo, cum Eutychianismus,
in Monotheletis reviviscens, Ecclesiam affligeret, Synodus œcume-
nica sexta, vulgo Trullana, eaq; gemina, sub Imperatoribus Con-
stantino Pogonato & Justiniano II. anteriorum Synodorum contra
Hereticos ex Verbo Dei probata dogmata stabilita denuò voluit
& confirmata. Cumq; seculo octavo denuò Nestorianismus vires
recipere gestiret per Felicem Urgelitanum & Elipandum Toleta-
num, Christum ratione humanitatis Filium Dei adoptivum esse sta-
tuentes, unde sequebatur, in Christo duos esse filios, duas personas,
sive alium & alium; sed & eopse tempore imagines aut adoraren-
tur ab Iconolatris, aut penitus abolitum irentur ab Iconoclastis;
præter alias Synodos tum Adoptianismum explosit, tum veram &
Scripturæ congruam sententiam de imaginibus dixit Francofur-
tense, auspiciis Caroli M. habitum, Concilium. Seculo nono,
cum Monachus Rhemensis Godeschalcus doceret, quosdam homi-
num ad exitium prædestinatos, neq; Christum omnium Redempto-
rem esse, imò cum studio αἰθολκῆς adversum semina transubstan-
tiationis, jamdum sparsa, veram & realem præsentiam Corporis &
Sanguinis Domini in S. Cæna inficiaretur, Synodus in Germania sub
Rabano, Archiepiscopo Moguntino, habita, ipsum damnavit. Vid.
Syst. Goth. H. E. lib. II. p. m. 502. Sed & tunc definita fuit
processio Spiritus Sancti ex Patre Filioq; in Synodo Arelatensi sexta
sub Carolo M. in qua etiam canone III. decretum, ut Sacerdotes san-
ctas Scripturas legerent & prædicarent juxta monitum Pauli
Apostoli. Conf. Spanheim. Compendios. Introduc. ad
H. E. N. T. p. 268. Seculo decimo, quod plumbeum vel ipse
Spon-

Spondanus appellat, cum abusus dogmatici ac tyrannides Papalis regni excrescerent, & id, quod in Synodo jam Nicena II. antehac de sanguine & aquâ, ex percussa Salvatoris imagine exeuntibus, fuerat effectum, etiam de pane Eucharistico transubstantiato, sanguinem emittente, traderetur; præstigia insuper pro astruendo firmandoq; purgatorio & necessitate Missarum pro defunctis, accumularentur, Spanheim. l. c. p. 281. vel Sveffionense quoddam Concilium præter alios veritatis testes in medio tenebrarum lucem vidit, Ecclesiamq; super petram, i. e. super Confessionem Petri (non super sellam Petri) edificatam pronuntiavit. Seculo undecimo Berengarius, Andegavensis Ecclesie Diaconus, veram & realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam in Cænâ impugnans, variis Conciliis, imprimis Turonensi ac Vercellensi, est refutatus. Cum seculo undecimo Scholastici in articulum justificationis venenum (Origene, quæ cænum admiscuerat, deteriores) infudissent, & Concilia huic tanto errori parum occurrerent, Deus, in medio hostium dominans, Bernhardum excitavit, Abbatem Claravallensem, quæ in mediis Pontificiæ Ecclesie tenebris plus lucis spiritualis adeptus est, quam omnes id temporis Episcopi atq; Ecclesiastici. Cognovit enim & expertus est in tentationibus, nos non nisi per Dei gratiam & misericordiam consequi posse remissionem peccatorum, eamq; fide accipi oportere; quæ sunt verba Dreyeri de fest. dieb. p. 156. & seq. Satis jam per tot secula Ecclesiam exercuerat Satanæ, subinde per contraria agendo, & tela sua ignea torquendo. Nec enim solum per crudos Simonianos, Cerinthianos aut Nicolaitas, verum etiam per sanctitatis rigidioris æmulos Angelicos, Encratitas, Catharos sive Novatianos, Donatistas & Evchetas sive Massalianos, nec solum per $\chi\rho\iota\sigma\lambda\upsilon\sigma\iota\nu$ Nestorianam, verum etiam per $\chi\rho\iota\sigma\theta\acute{\upsilon}\gamma\chi\upsilon\sigma\iota\nu$ Eutychianam, quarum utraq; in tam sera remansit tempora: nec solum per Symbolorum Sacramentalium $\mu\epsilon\tau\alpha\sigma\iota\omega\nu$, verum etiam per $\alpha\pi\alpha\sigma\iota\omega\nu$ Corporis & Sanguinis Dominici traditam suum peregit opus, suasq; periclitatus est vires. Ita igitur seculis decimo tertio, decimo quarto,

decimo quinto, & decimo sexto per increbescentem abusum tum Theologia Scholastica, tum huic è diametro adversantis Mystica, regnum suum mirifice amplificavit. Nimirum Scholastici, subinde Mysticos Enthusiasmi accusantes, vicissim à Mysticis objectum sibi crimen inutilium & plenarum offendiculò rixarum audiverunt. Simplex interea, ab ipsis Apostolis tradita, Theologia penitus fere succubuit, scabiosis hisce Theologiis in regno Pontificiorum animos hominum tenentibus occupatos, donec tandem ipsum, quod omnia moderatur, Numen ex cineribus quasi jam suis per saluberrimum Reformationis opus in thronum rursus eveheret simplicem de Deo & salute nostrâ ab ipsis Viris Reformationis traditam doctrinam. Quæ sunt verba Domini Güntheri Disp. de relig. Quietist. p. 15. Esto igitur communio sub una jam ante Synodum Constantiensem in Ecclesiam invec̃ta, & in ipsâ Synodo publicata; obstitit Deus per Lutherum ceterosq; reformationis ministros. Tenebræ aliarum doctrinarum Papalium oppleverint terram: Lux Evangelii refulsit; sol ad vesperam mundi radios sparsit; Deus ex immensa misericordia nos ex captivitate eduxit Babylonica. Scripta Prophetica & Apostolica, à scoriis traditionum humanarum fuere purgata, quæ Symbola œcumenica & Libri Symbolicè repetunt, explicant & inculcant. Et huic quidem unanimi consensui Prophetica & Apostolica doctrina concorditer etiamnum inhaeremus, quotquot Lutheranorum nomen decentiore sensu haud erubescimus. Excitatne ergo Satanas Pelagios? Excipit Dominus messis genuinos Augustini filios, & vel invitos extrudet ad messem. Recrudescentne isti? Reviviscent etiam hi, aut ipsorum posteri. Hæc in timore ipsius meditabamur, antequam præsentem de Corruptelis Ecclesiarum Apostolicarum (non doctrina tantum Apostolica, verum etiam fundationis ab iisdem profecta nomine, ita dictarum) Exercitationem aggredieremur. Nec enim morbos modo Ecclesiarum istarum annotavit; verum etiam medelam subinde addidit Spiritus divinus, illud quidem admonitioni ac dehortationi, hoc consolationi nostræ daturus.

COR-

CORRVPTELÆ ECCLESIAE HIERO-
SOLYMITANÆ.

§. I.



Æc primitus à Christo ipso fundata, ab Apostolis postmodo, & cum primis Jacobo Minore, temperata & gubernata, suis haud caruit nævis: & ager fuit, zizaniis abunde plenus. Vel Apostolorum chorum, Magistro visibiliter præsentem gavisum, suum habuit Judam, proditorem, furem, Diabolum; & tamen, quod mireris, primæ cœnæ hospitem. Apostoli ipsi quam languerunt, friguerunt, desciverunt? Ægrotare periculosum; at recidivam pati periculosius. Sed enim cum post ascensionem Christi ac visibilis præsentia subtractionem ex Sione prodiret lex, & Verbum Domini ex Hierusalem Es. II, 3. cum, Spiritu S. in amœnitatibus Pentecostalibus effuso, prima Petri concio, tanquam semen multiplicationis Ecclesiæ, fuisset habita; cumque unum cor & una anima omnium esset fidelium, in communionem bonorum subsistentium, ecce! sacrilegium Ananiæ & Sapphiræ, Act. V. 1 - 10. percensitum, ipsa nascentis Ecclesiæ N. T. initia dedecoravit.

§. II. Corruerant pene nobis hanc Periochen, de tam insigni corruptelâ duorum illorum *ὑποκρίσεων* Ecclesiæ Apostolicæ membrorum loquentem, Crellius, Schmalzius, aliique Socinisequi, Deitatem Spiritûs Sancti hinc minus probari posse rati, & quibus *τὸ Μεντῖρι Σπῖριτου Σ.* idem est, ac *simulare Christianum, Spiritu S. præditum; aut, præ se ferre, ac si quis Spiritum S. habeat, quem tamen sese non habere sciat.* Cæterum arbitrantur, illam B. Graweri nostri aliorumque propositionem: *Cui mentitus est Ananias ille est verus Deus,* variis repercuti instantiis posse. Verum à Nostris dudum protrita hæc sunt. Certè *τὸ ψεύδεσθαι* ipse Petrus, vers. 3. non per nudum *simulare*, sed *defraudare*, nimirum per *νοσφισαδαί*, intervertere ac suscipere aliquid de pretio, exponit. Propositio autem sic capienda: *Cui (primariò ac mediate) mentitus est Ananias, ille est verus Deus.* Atqui. E. Vid. B. Scherz. *Coll. Anti-Socin. p. 191. & seqq.* Quod ad gravitatem delicti attinet, Græci non dubitant istud appellare sacrilegium, cum ludificatione Spiritûs Sancti con-

jun-

junctum ; eo, quod consecrata ad egenorum nutrimentum, & ad Apostolorum pedes reposita, hoc est, ipsorum dominio totiusque adeo Ecclesiae possessioni dicata, nuncupata ac devota, subdole fuerint subtracta communi necessitati ; & ita votum sive promissionem antea tacite Deo factam, à conjugibus istis perfide violatam fuisse censent. Vid. *Camerar. ad h. l. p. m. 234.* Si quis igitur Deo aliquid promittit, & non servat, is mentitur enormius, quam si homini datam fregisset fidem ; neque sequitur colitve Owenianum istud, ex Tullio lib. 1. *Off. mutuatum : Fiat, quod dictum est ; dicitur inde fides.*

§. III. *Coccejus* ad h. l. commentatur, mentitum esse Deo Ananiam, tum votum non solvendo, ubi allegat *Levit. XXVII, 10. Deut. XXIII, 22. 23. 24. Eccles. V, 3. 4.* tum tentando, sive experimentum capiendo per peccatum & consilium avaritiae, imò diffidentiae in Deo, an revera Spiritus Dei Apostolis praesideret. *Tom. IV. Op. pag. 336.* Etsi enim Spiritum S. ut Deum, fallere nemo potest actu ; intentione tamen, & quantum in ipsis est, fallere, aut decipere voluisse homines dicuntur. Additur hic modus, quo Ananias Spiritum Sanctum, quantum in ipso fuit, fallere cogitavit, *ὃν νοσφίσαντα ἀπὸ τῆς τιμῆς τῆς χωρῆς.* Venditi enim agri pretium non integrum detulerat in ararium Ecclesiae, uti voverat, (quanquam votum tale, quale Papæi commendant, hic violatum neget *B. D. Major Comm. in h. l. p. 82.*) & videri quidem voluerat, imo & interrogatus affirmarat ; sed partem aliquam clam sibi privatim reservarat. *Er. Schmidius ad h. l. p. m. 804.* Verbum autem *ψεύδεσθαι*, etiam accusativo personæ junctum, significationem *fallendi, frustrandi, decipiendi, & ludificandi* habere, Schmidius probat ex *Aristophanis Nub. Μὰ Δι' ἂν ψεύσῃ με*, per Jovem, non falles aut ludificaberis me. *Eurip. Alceste : Εἰ μὴ πῖ σός με Δεσπότης ἐψεύσατο*, Nisi tuus me verus fefellit. *Herodian. I. 2. Ἐυχίσκετό τε καὶ τὰς στρατιώτας ψευσάμενοι*, Deprehensus est fefellisse milites. Neq; enim insolens Græcis, verba afficiendi regere accusativum personæ. Idem ipsum verbum indifferenter utrumque casum, & Dativum, & Accusativum asciscere, eadem omnino significatione manente, ex *LXXvirali versione Psal. LXXVIII, 40. LXXXIX, 35. Es. LVII, 11. 2. Reg. IV, 16.* cum *Ludovico de Dieu* probat *D. Major l. c. p. m. 88.*

§. IV. Pec-

§. IV. Peccatum in Spiritum Sanctum, univoce & complete tale, ab Anania & Sapphira commissum, ne Coccejus quidem, credo, dixerit; utut maximam habere similitudinem cum peccato in Spiritum Sanctum, eoque irremissibili, hanc ipsorum *ψευδολογίαν* asserat. Etenim omnes quidem increduli Judæi, non dantes Deo gloriam, in Spiritum Sanctum peccabant; sed Ananias & Sapphira, qui cum gaudio sermonem justitiæ acceperant, & patefactione virtutum, quæ in Apostolis manifestabantur ac cernebantur, gaudebant, atque ita ad cognitionem veritatis pervenerant, cum tamen sese & vitam suam parum solide vellent Spiritui Sancto committere; sed cuperent quidem cum Ecclesia prospere habere societatem; interim nolent communicare cum ipsius tribulatione; hac ipsa duplicis cordis prudentia ad audendum tantum peccatum elati fuere. Quod autem tam rigida, ac hodie minus imitabilis, ex singulari Dei judicio fuit adhibita animadversio in corpora eorum, perinde fere, ac in corpus incestuosi Corinthiaci, & Elymæ Magi; de eo sentit *Camerarius* l. c. quædam tempore & necessitate postulante esse honesta atque laudabilia, quamvis species interdum illorum valde sit horrida: ut supplicium illius, qui die Sabbati ligna collegerat. Atque initio rebus vix constitutis ab aliquo peccari, non tam facto, quam exemplo nocet, & animadversioe severiore est coercendum. Sed & omnino de divinis actionibus atque rebus humanæ rationes ad explicandum comprobandumve adhibendæ non sunt, ne quis in majestatem inquirere, & sapientiæ æternæ sese facere consiliarium velle videatur. Attendendum itaque potius ad effectum verè divinum hujus censuræ acerbioris, amplificationem nempe præconii Apostolici uberiores, ex alto curatam atque provectam.

§. V. Optimè cogitata interdum pessime cedere, vetus dictum est. Cum igitur salutari consilio &, quod verisimile est, dictamine, aut ad summum suffragio Apostolico, Ecclesia Hierosolymitana, adhuc virgo, collationem æris, cibi potûsve instituisset, ut è collatitiâ pecuniâ viduis & pauperibus de victu & amictu prospiceretur; quin & progressu temporis agapæ, fratrum refrigeria inopum, & convivia de confertis celebrarentur; ecce! non tantum Ananias & Sapphira coetum Christianorum nascentem ac indies accrescentem pretio agrî defraudarunt; quod jam vidimus:

B

verum

verum etiam nova pullulat ἀτιξία, cap. 6. recensita, murmurantibus Hellenistis contra Hebræos ob neglectum viduarum Græcarum, in quotidiana rerum necessariorum distributione admissum. Videntur igitur quibusdam aut Græci peccasse, diribitores collectarum tam frivole alicujus injustitiæ distributiæ, si non repetendarum, arguendo; aut suo ipsimet merito hoc improprium tulisse Apostoli, bonorum communium distribuendorum Præsides. Enimvero per electionem septem Diaconorum huic, quæ in partem Ecclesiæ Hierosolymitanæ sese insinuârat, perversitati manus medica satis feliciter fuit applicata. Et certè ab Apostolis, Spiritu Sancto plenis, culpam ejus meritò removemus, aut, si in praxi & applicatione ministerii quicquam erraverint, id bonâ ipsorum intentione metimur. *Calvinus* in illud *καὶ δεξιῶν* ita commentatur p. m. 53: *Si non expedit, hanc curâ ipsos involvi, jam videntur aliquam in eo culpam agnoscere, quod hætenus ministraverint (mensis five convivii) & certe verum est illud, prudentiæ usum esse patrem. Quare nihil absurdi erit, si dixerimus, Apostolos, postquam experti sunt, munus illud sibi non congruere, ab Ecclesia petere, ut liberentur. Verum si qua erat culpa, necessitati magis, quam illis imputari debuit. Neq; enim cupide onus hoc arripuerant; sed cum alia ratio nondum extaret, se ultra modum gravari malebant, quam pauperes negligi. Et p. p. Atqui videtur hoc intempestivè ab illis dici, quia prius non reliquerant docendi provinciam, tametsi eleemosynis præerant. Respondeo, cum administratio confusa esset, sic fuisse implicitos, ut non possent toti in doctrinam incumbere, sicut par erat.*

§. VI. Nec defuit, annis postea haud paucis labentibus, eîdem Ecclesiæ fermentum, idque in illustriori illo Concilio Act. XV. expurgandum, cum vers. 5. nonnulli, à Pharisaismo ad fidem conversi, pertenderent, Christianos, ab Ethnicismo conversos, oportere circumcidi, & annunciare, servandam esse legem Mosis. Eruperant hæc flabella è spiritu Pharisaisico, qui in discipulis istis remanserat, diuturna relictus consuetudine; nondum autem perinde, ac in Paulo Apostolo, fuerat exutus. Regnabat igitur etiamnum in eis hypocrisis, cum in externos ritus, qui sæpe sunt vitiorum integumenta, plus justo essent intenti. Inflabat eos superbia, ut tyrannice alios omnes subicere cuperent suis placitis. Huic morbo medebatur Concilium, per solam Dei gratiam, exclusis

clusis

clusis legis operibus, nos salvari, statuendo. Non itaque facimus cum *Beza*, qui verba versus quinti non *Lucæ*, sed *Pauli* ac *Barnabæ* esse putat, statum Ecclesiæ non Hierosolymitanæ, verum Antiochenæ narrantis. Etenim, si quis ad contextum attendat, facile deprehendet, in versibus, 3, 4. 5. non esse transitum ab oratione obliqua ad rectam; cum obliqua nulla præcedat, sed tota sit recta; ut adeò οἱ πεπιστευόντες Pharisei Hierosolymitani, cum iis, qui Antiochiæ hanc controversiam moverant, consensisse perhibeantur. Verum ita sufficiat mendas aliquot duntaxat Ecclesiæ Hierosolymitanæ annotasse. Sequuntur

CORRVPTELÆ ECCLESIAE ANTIOCHENÆ.

§. VII. Hic quidem certè Numen mite ac benignissimum Ecclesiæ N. T. ampliandæ illustre quasi theatrum extruxerat, volueratque, ut hinc emissi *Barnabas* & *Saulus* vocationem Ethnicorum ad gremium Ecclesiæ in quam plurimis locis ministrarent, ac gentibus ostium fidei patefacerent Act. XI, 19 - 30. XIII, 1 - 3. XIV, 26 - 28. Nec prima tamen Christianorum denominatio, nec tot Prophetarum ibi degentium indefessa liturgia, ac operis Domini impletio, cum primis autem prædicatio Evangelii, facta tum ad Judæos, XI, 19. tum ad Hellenistas, v. 20. (Judæis ac Hebræis non secus, ac cap. VI, 1. contradistinctos; quanquam in codice Alexandrino, XI, 20. legi Ἕλληνας testetur *Usserius* apud *Coccej.* l. c. ut adeo Hellenistæ non gentis, aut patriæ, verum linguæ sint nomen. Vide sis, quid super *Heinsii* & *Salmasii* dissidiis judicet *D. Major* ad l. c.) obstitere, quo minus in animos quorundam illud ipsum fermentum Pseudo-dogmaticum, cujus in §. 6. jam meminimus, sese insinuaret. Nimirum hanc corruptelam, utut non nisi μετεκλεω, operose caput subsequens XV. exponit. Accesserant nonnulli Antiochiam ex Judæa, sine missione & instructione Apostolorum, adeoque αὐτοκλήτοι erronei ac turbones, τὰς ψυχὰς ἀνασκευάζοντες vers. 24. docuerantque fratres incircumcisos, & ex gentibus incircumcisos conversos, circumcisionem & legis Moisaicæ impletionem ad salutem esse necessariam. Corruptela profecto insignis & non aspernanda, cui maturius obviandum Spiritus S.

tus S. & Apostoli statuerant, idque eo, ne modicum fermenti totam massam fermentaret. Belle Vinarienses ad h. l. Dieses Fürgeben war falsch / und dem Verdienste des Herrn Christi und seinem Evangelio verhinderlich / sintemahl man Vergebung der Sünden und die Seeligkeit nicht durch die Beschneidung / noch durch das Gesetz Mose / sondern allein durch Christum erlangen kan; denn wer da glaubet und getauft wird / der wird selig werden / Marc. XVI, 16. Joh. III, 15, 16. Gal. II, 16. V, 2. Daß aber die Beschneidung von den bekehrten Jüden noch eine Zeitlang im N. T. behalten wurde / das geschah aus sonderbahren Bedencken / und Christlicher Freyheit / und keines Weges der Meinung / als wenn sie zur Seeligkeit nothwendig wäre. Conf. etiam B. Selnecceri Annot. ad Act. p. 211. & seqq.

§. VIII. Quin Gal. II, 11. & seqq. Petrus, Antiochiam veniens, ipsemet haud leve scandalum ibidem excivit, subducens & separans sese a fratribus Christianis, qui ab Ethnicismo conversi erant, sicque enormem committens hypocrisin, assentans Judæis conversis, seducens Barnabam aliosque Judæos (ô corruptelam publicam & notoriam!) ut minus recto pede incederent ad veritatem Evangelii, & gentes conversas judaizare, sive circumcisionem & legem ceremonialem observare, cogens. Quo nomine κατηνωσμένον, contradictionem, reprehensionem & meliorem informationem Pauli expertus, legitur l. c. Defendat Hieronymus hoc factum Petrinum; defendant etiam alii, quoad volent. Nos Augustinum, seu mavis, ipsummet Spiritum S. ejusque jamdum allatam claram literam sequimur. Neque enim Paulus paria fecit Petro, Timotheum circumcidens Act. XVI, 3. Titum vero non circumcidens Gal. II, 3. Circumcisio namque Timothei nullam præbebat gentibus scandali occasionem; at circumcisio Titi præbuisset, perinde, ac subductio Petri à gentilibus. Circumcisio Timothei non fiebat ob introductos falsos fratres, verum libere & sub opinione libertatis; at circumcisio Titi facta fuisset cum opinione necessitatis & in gratiam falsorum fratrum, qui libertatem Christianam vellicare studuerant. Circumcisio Timothei tandem ideo fiebat, quia Timotheus ex matre Judæus erat, ideoque, lege mortua quidem, sed nondum sepulta, circumcidi poterat: Circumcisio Titi non item. Repeto, quod innui. Factum

Etum

Etum Paulinum salvâ libertate Christianâ contigit, non secus, ac
 tonsio illa, Nasiræatus ritu ministrata Act. XVIII, 14. at Petrinum
 non item. Nec in Petro tamen vitium prædicationis, sed conver-
 sationis fuit, dicente *Tertulliano lib. de Prescript.* neque error in
 doctrina sive theoria fidei, sed in praxi & mala applicatione, ut-
 pote qui in articulum fidei non quidem directè, per indirectum
 tamen & incidenter impegit. Confer ea, quæ cum Hunnio,
 Gerharo, Quenstedio & aliis hîc docuit *Waltherus Disput. inaug.*
de Paulina Petri increpatione num. I. II. III. ubi judicat, peccatum
 Petrinum, licet ratione totius ambitûs, & intuitu consequentis
 scandali, quô opinio Judæorum de necessitate legis ad justifica-
 tionem confirmari poterat, adeoque consequenter in doctrinam
 redundarit; per se tamen & formaliter spectatum in vitâ consti-
 tisse, & directè contra bonos mores admissum fuisse. Tam ne-
 cessaria erat reprehensio Paulina ad corruptelam isthanc ab Eccle-
 sia Antiochena averruncandam.

CORRVPTELÆ ECCLESIAE RO- MANÆ.

§. IX. Hujus, tametsi fides in toto mundo annunciaretur, nævi
 tamen à Spiritu S. neutiquam dissimulantur. *Observate*, ait Ep.
 cap. XVI, 17. *eos, qui dissidia & offendicula contra doctrinam, quam*
vos didicistis, excitant; imò declinate ab illis. Nam qui ejusmodi sunt,
Domino nostro Jesu Christo non serviunt, sed suo ventri: & ἄρα τὴν
εὐλογίαν καὶ ἐυλογίαν per blandiloquentiam & assentationem decipi-
unt corda, alias non malorum. Tales autem erant Pseudoapostoli
 2. Cor. XI, 13. hostes crucis Christi, quorum venter erat Deus
 Phil. III, 18. Accedebant insuper in nobili ista Ecclesia schismata
 inter Judæos & gentiles, recens ad Christianismum conversos:
 quorum illi hos contemnebant, tanquam eos, qui ad peculium
 Dei naturâ non pertinerent; quos doctrina Evangelii vel profus
 non attingeret, vel non nisi cum observatione ceremoniarum Mo-
 saicarum, ut constat ex cap. II. & III. (Hinc oriebantur certami-
 na Disputationum super adiaphoris. Alius quidem credebatur, li-
 cere sibi vesci quibusvis: qui verò infirmus erat, oleribus vesce-
 batur, Rom. XIV, 2.) Hi vero illos vicissim aspernabantur, tan-

B 3

quam

quam populum à Deo rejectum, in quorum locum ipsi recepti, & in arborem Ecclesiasticam insiti forent. Occurrit proinde horum arrogantiae capitibus IX, X & XI, & illorum præcoci & immaturo zelo cap. II & III. Conf. *B. Gerhardi* Annot. in hanc Epistolam p. 1. *Hieronymus* quidem certe Comm. ad cap. XVI, 17. de illis dicere Paulum affirmat, qui ex circumcissione illo tempore venerant, jejunia & abstinentiam destruentes, neomenias & sabbata & cæteras ferias ventris gratia prædicantes, dissentientes ab Apostolica doctrina, & fratribus offendicula parantes. Sat malarum & labium, quibus Ecclesiam illam eximiam & electam Satanæ conspererat, hospitantem nempe Babylone 1. Petr. V, 13. hoc est, Romæ, ubi confusio omnis ex toto orbe idololatriæ, ipsiusque cives omnium Deorum nationumque exterarum simiæ reperiuntur (si sequamur *Hornejum*, qui *Hist. Eccl. lib. 1. p. m. 38.* existimat, per Babylonem hic nec celebrem illam Chaldææ urbem, cum Petrum in Chaldæam venisse nusquam legamus; nec alteram illam in Ægypto, quippe quæ tum nondum urbs, sed castellum adhuc fuerit, & *Φρούριον ἱερικόν*, castellum natura munitum *Straboni* vocetur; verum Romam denotari, eodem modo à S. Johanne Ap. XVII, 17. & XVIII, 2. appellatam, consentientibus *Eusebio H. E. lib. 2. cap. 15.* & *Hieronymo Catal. Script. Ill. in Marco*: quanquam alii malint, Petrum unquam fuisse Romæ, in sacris nullibi legi vid. *Kromayer. Theol. posit. polem. p. 1036.*) Et mirum est, si itinerarium Paulinum in actis perlustremus, Judæos & Pseudoapostolos tantum non ubique locorum, quorsumcunque pervenisset, cursum Evangelii Satanæ plane nisibus inhibere solitos; id quod ad extremum etiam Romæ magna cum animorum pervicacia, excœcatione ac dementatione factum, ceu apparet ex Act. XXVIII, 24, 25, 26, 27, 29. Tantæ molis erat Christianorum Romæ gentem condere, hoc est, curare ac prospicere, ne plus ab hac contagio Ecclesia Christi attraheret detrimenti. Ad preces ergo confugiens Apostolus cap. XVI. Epistolæ vers. 20. optat, & ominatur, fore, ut Satanæ conteratur sub pedibus Romanorum, utpote Magister & incentor dissensionum, utpote per potestates idololatricas aliosque adversarios operans, & per ministros suos, errorum Magistros, calcaneo piorum insidians, hoc est, ad lapsum ac defectionem à rectâ fide sollicitans. Quando enim

enim

enim tales adversarii conteruntur, Satanæ conteri dicitur Luc. XI, 21. Joh. XII, 30. Vid. Autores apud *Polium* citati ad h. l. p. 325.

CORRVPTELÆ ECCLESIAE CORINTHIACÆ.

§. X. Ut, ordinem temporis libere posthabendo, ad ordinem locationis Biblicæ subinde attendamus, offert sese jam nobis Ecclesia Corinthiaca, quam sancta, quam magna, quanto cum labore ac sudore plantata? Act. XVIII, 9, 10. &c. quam multum ibi Christo habente populum? Verumenimvero quot scandalis morum & doctrinæ & ipsa, si ulla alia, scatens, affluens, dedecorata? Prior sane ad eam exarata Epistola Apostolica reprehendit acriter tum schismata auditorum, in ea degentium, quorum alter dixerat: Ego sum Pauli; Alter Apollo, alter Cephæ, alter Christi sese esse contenderat, cap. I. & III. nec non Pseudo-doctorum, auctoritatem Pauli enervare studentium, cap. II. & IV. tum vitia Corinthiorum in moribus contra sextum præceptum, qualia incestus, cap. V. & scortatio, cap. VI. cui obvians præcepta de matrimonio suggerit cap. VII. item contra octavum, qualis intempestiva delatio coram Ethnico Magistratu, cap. VI. una cum admixtis aliis, quæ taxat, flagitiis atque sceleribus. Necdum satis objurgationum. Reprehendit porro vitia in conversatione cum infirmis, cap. VIII, IX, X. Reprehendit indignum S. Cœnæ usum, X, XI. Reprehendit ministeria charismatum spiritualium sine charitate cap. XII, XIII, XIV. Reprehendit temerationem articuli de resurrectione mortuorum cap. XV. ac tandem ofores Domini JESV omnes & singulos anathematizat, cap. XVI, 22. Ut adeo, quot capita, tot pene eporthoses ac redargutiones hic conspiciantur. Enimvero sicut, *Grotio* apud *Polium* p. 331. & seqq. observante, apud homines ingeniosos, quales fuere Corinthii, facile fuit commentitios Græcorum Deos, quorum præcipua Corinthi Venus, evertere: Ita inoblita vitia non ita facile mitiori disciplinæ cesserant. Itaque sicut a gentibus aliis, ita a Corinthiis, ægre obtineri potuit, ut scortationem pro re illicita ducerent. Incestos etiam, qui dicuntur, concubitus in se nihil habere mali, sententia fuit Diogenis; imo & Stoicorum, & Epicuri, ut ex Sexto Philosopho, Theophilo Antio-

Antio-

Antiocheno lib. 3. & aliis, discimus. Hoc quoque illis inhæsit. Resurrectura corpora nec Platonici credebant, qui in pœnam corpora animabus data censebant; neque vero aut Epicurei, aut Peripatetici, qui, rerum humanarum curam nullam esse Deo, utcunque docebant; illi apertius, hi vero ἐν ἰσωπερικῶς λόγοις. Plura videantur in Epistola Pauli altera, in qua uni & alteri morbo, jam indicato, curam secundam applicat Divus Apostolus; & si lubet, in Clementis priore ad Corinthios, quam Dn. D. Ittigius noster una cum notis Colomesii paucis abhinc annis editam voluit *Eiblioth. Patrum Apostolicorum pag. 2. & seqq.* quæque, posterius Canonica nostra ad eosdem Corinthios scripta, passim in his ἀλαζονείαν, αὐθαδέειαν, πύλμην, ὑπερηφανίαν, ζήλον, ἔριδα, φιλονεικίαν &c. distringit; resurrectionis autem dogma multis modis tuetur.

CORRVPTELÆ ECCLESIAE GALATINÆ.

§. XI. In regione Galatica hospitans Ecclesia ingentem passa fuerat eclipsin, ut ipse quoque Apostolus Galatas stultos, fascinosos atque dementatos diceret, qui, si pergant cœptum currere tramitem, Christum ipsummet sint perdituri. Plantaverat Paulus, ajente B. Luthero nostro *Comm. ad cap. I, 1.* puram doctrinam Evangelii & justitiam fidei apud Galatas: Sed statim post discessum ipsius subintraverant falsi Doctores, qui omnia, quæ plantaverat, & bene docuerat, subvertêre. Et p. p. Fuerunt autem Pseudoapostoli Viri magnæ autoritatis, ex circumcissione & Pharisaismo, qui jactaverunt apud populum, se esse de sancta & electa gente Judæorum, se esse Israelitas, ex femine Abrahamæ, se habere promissiones, Patres &c. denique se esse Ministros Christi & discipulos Apostolorum, cum quibus conversati fuissent, & signa eorum vidissent. Forte & ipsi signa fecerunt. Nam Christus Matth. VII. testatur, impios quoque signa facere. Deinde extenuaverunt etiam, quibus artibus potuerunt, autoritatem Pauli. Quomodo igitur hos reformatum ivit Apostolus? Ergone omnes illico damnavit regionis Galaticæ Ecclesias? Minime gentium. Et Seductores & seductos in illis reformavit; Ecclesias ipsas apostasiæ totalis non arguit. Verum Galatas appellavit fratres, qui in
Chri-

Christum baptizati essent, & Christum induissent, denominatione Synecdochica, a parte potiori ac digniori facta, prout Ecclesiam quoq; Corinthiacam appellat sanctificatos in C. J. vocatos Sanctos I. Ep. cap. I. v. 2. & prout agrum tritici dicimus, utut zizania triticum in eo multum exuperent. Volebat igitur eradicatos, a quibus Galatæ turbarentur; pacatiorem ipsis statum apprecando, & negotium ulterius, quod sibi facefferent, deprecando. Sed & eosdem, a quibus fidei mortuæ defensor existimaretur atque proclamaretur, calumniæ arguit & convincit manifestæ, fidem per charitatem efficacem inculcando, inveniendam in solis illis, qui sint in Christo, sintque nova creatura, hoc est, regenerati, renovati, & secundum hunc canonem incedentes. Quo nomine propria epistolam manu ad ipsos exarasse, haud secus, ac eam, quæ ad Philemonem est, v. 19. (cum eam, quam ad Romanos dedit, descripserit Tertius cap. XVI, 22.) cap. VI, 11. legitur atque observatur.

CORRVPTELÆ ECCLESIAE EPHE- SINÆ.

§. XII. Has post discessum suum venturas commemorat ac prædicat Apostolus, primus florentissimæ illius Ecclesiæ plantator Act. XX, 29, 30. *Novi, inquit, post discessum meum lupos graves, non parcentes gregi, ingressuros esse in vos, & ex vobismetipsis exoriturus, qui loquantur perversa, ut discipulos post se abstrahant.* Cum itaque, teste Hieronymo in *Catal. Script. Eccl.* Timotheus, Ephesiorum Episcopus, ordinatus a B. Paulo fuerit (conf. 2. Tim. I, 6. 1. Tim. III, 3.) & vero utraque ad hunc, anterior quidem Laodicea, posterior autem Roma conscripta, epistola plurium meminerit τῶν ἐπιποιδασκαλῶντων, attendentium fabulis & genealogiis infinitis, I. cap. I, 3, 4. ut Hymenæi & Alexandri, cum nonnullis aliis naufragium fidei facientium, v. 19, 20. a cujusmodi erroribus sese Timotheus deberet sejungere, VI, 3, 4, 5. averfans profanos de rebus inanibus clamores, & oppositiones falso nominatæ scientiæ, quam nonnulli præ se ferentes circa fidem a scopo aberrarint, v. 20, 21. imo cohibens profanos istos de rebus inanibus sermones Hymenæi & Phileti, instar gangrænæ depascentes, II. cap. II, 16, 17, 18. & averfans istos,

C

qui

qui irreperent in familias, & captivas ducerent mulierculas, peccatis cumulatas, & cupiditatibus variis actas, semper discentes, & nunquam tamen ad agnitionem veritatis venientes, III, 6, 7. contra quos sese deberet instruere sacris literis, quas a juventute didicerit, 14, 15, 16, 17. patent utique illius etiam Ecclesiae vulnera. Jungamus caput secundum Apocalypseos, ubi Ephesinae Ecclesiae Angelus (ambiguum, quisnam; cum Timotheum in persecutione prima sub Nerone occubuisse communis sententia ferat, docente B. Kromajero ad h. l.) tentasse eos perhibeatur, qui se dicant Apostolos, & non sint, & invenisse eos mendaces; sed & facta Nicolaitarum odisse, v. 1, 2-7. Ex Pseudoapostolis imprimis fuerant Cerinthus & Ebion, in praesentia Johannis Ephesi, non solum opera legis ad justificationem & salutem necessaria docentes, sed & Christum esse Deum negantes, teste Irenaeo lib. 1. c. 25. & 26. & lib. 3. cap. 3. Vid. Euseb. lib. 3. H. E. cap. 27. & 28. Ut adeo sponsa illa Christi, tam a Paulo & Johanne Apostolis, quam a Timotheo &, si fidem habere fas est Ignatianae, eidem inscriptae, epistolae, Onesimo Episcopo adornata, qua formam externam, suis destituta maculis haud fuerit. Verba Ignatii in Epistola jam allegata sunt haec: *Agnovi aliquos ex vobis, a via veritatis discedentes, malam doctrinam habere alieni & nequissimi spiritus. Et p. p. Erroris autem spiritus seipsum praedicat, sua propria dicens. Sibi enim placens est, & seipsum glorificat. Acerbus namque est, plenus extans falsiloquio, seductor, lubricus, superbus, arrogans, verbosus, dissonus, immensuratus, nigriformis, tumidus. En tibi æruginem, si faciem istius Ecclesiae curatius inspicias, nitori Apostolico conjunctam, cui & Timotheus & alii, diversis temporibus eidem praefecti, elenchum Scripturae obvertere consueverunt!*

CORRVPTELÆ ECCLESIAE PHILIPPENSIS.

§. XIII. Paleas tritico admixtas etiam hic offendimus; Christianos nempe Judaizantes & falsos fratres, Christum propter invidiam & contentionem praedicantes, Phil. I, 15. eumque non sincere annunciantes, verum ut pressuram exuscitarent vinculis Paulinis, v. 17. in quo tamen sese gaudere & gavisurum esse, Apostolus

stolus

stolus affirmat v. 18. utpote sciens, hoc sibi profuturum ad salutem, v. 19. Etsi ergo verissima sunt, quæ Dn. D. Fechtius Coll. MS. ad Lib. Symbol. ad art 8. Aug. Confess. habet, ita differens: Horum talium ministerium non esse inefficax, inde patet, quia Paulus ait, predicari per eos nihilominus Christum, atq; in ista predicatione se gaudere, & postea quoq; gavisurum esse. Res adeo certa est, ut & pueri veritatem hic conspiciere possint: Tamen etiam verissima sunt illa, quæ præmiserat, verba: Qui vero Christum predicarunt, vere impii & scelerati fuerunt, nisi vitia velimus inter virtutes connumerare, & ex eo, qui non sanctus est, sanctum & regnitum facere. Adeo magnus hic fuit Ecclesiæ Philippicæ defectus. At major ille, quam cap. III, 2. indicat, exclamans: Attendite ad canes, attendite ad malos operarios, attendite ad circumcisionem. Ipsos nempe hæreticos & Pseudoapostolos, Evangelium lacerantes, commentante iterum Hieronymo, quibus sese non gaudere, ut antea, dicit, quorumque prædicatio aut annunciatio nemini cedere salutis poterat, hic canum nomine perstringit. Hos infra v. 18. inimicos crucis Christi appellat, quorum finis interitus; quorum Deus venter; quorum gloria in confusione, & qui terrena sapiant, v. 19. Adde denuo, si lubet, Ignatianam, eamque spuriam, ad Philippenses consignatam, epistolam, ubi Satanæ prolixè, ob Judæorum auxiliares ad negationem crucis, Paganorum ad calumniam magiæ, & hæreticorum ad phantasiam, tanquam malitiæ princeps, Ecclesiæ huic sistitur cavendus.

CORRVPTELÆ ECCLESIAE COLOSSENSIS.

§. XIV. Ex Ambrosio, Chrysofomo & Theophylacto annotat Cornel. a Lap. proleg. ad Epistolam Paulinam, Colossensibus inscriptam, Simonem Magum, ejusque affectas hæreticos, uti alibi, ita Colossis virulenta sua dogmata sparsisse, ac nominatim docuisse, non Christum, sed Angelos nostræ salutis esse Mediatores, & reconciliatores apud Deum, absurdum putantes credere, quod Filius Dei in extremis temporibus apparuerit in carne, cum in V. T. Deus per Angelos apparere, omniaque sua per eosdem facere & exequi apud homines soleret: huic autem dogmati Co-

Ioffenses addidisse multas observationes Judaicas & gentilitias, dies nempe Judæorum ac gentium, & tempora varia, & cibos superstitiose tenendo. Horum pertinent, quæ cap. II, 16. inferuntur: Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ. Cum primis autem ex v. 18. patet, Angelicos ibidem fuisse, palmam Colossensibus intervertere, eosdemque seducere conatos. Hos in Angelorum cultum inclinatos, etiam Augustinus ad Quodv. hæc. 39. commemorat. Sed & Concilium postea Laodicenum can. 35. *Non oportet, inquit, relicta Ecclesia ad Angelos congregationes facere. Quicumq; autem inventus fuerit occulte huic idololatriæ vacans, anathema sit, quoniam relinquens D. N. J. C. Filium Dei, accessit ad idola.* Non defuerunt itaque Ecclesiæ Colossensi ejusmodi Pseudoapostoli, non tantum adorantes & invocantes Angelos, sed & in hypocrisi Angelica incedentes, & conversationem cum Angelis jactitantes, ad visionesque & colloquia ipsorum, a quibus doctrinam suam hauserint, provocantes. Nemo vos decipiat, Apostolus, isti malo medicaturus, ait v. 4. in sublimitate sermonum; & v. 8. Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, Platonicam omnium verisimillime intelligens, quæ, Deos medios animarum purgatores confingens, nihil, nisi *κενή ἀπάτη* seu inanis deceptio erat. Sicut enim Plato, teste Augustino, lib. 8. de C. D. cap. 12. & seqq. Deos quosdam ponebat medios: Ita Simon, Menander, Saturninus, Cerinthus, Basilides, Sethiani, Cainani Angelos ponebant, quasi minores Deos, qui homines mundumq; fabricassent, & per Prophetas locuti essent. Imo Cerinthus Angelos aiebat Christo, utpote puro homine, esse nobiliores, tum quod sint puri spiritus, tum quod censeret, eos esse mundi opifices; adeoque Deum Hebræorum, qui eis legem dederat in Sina, Angelum fuisse assererat. Unde contra hos Apostolus toties hic, & Ephes. c. 1. & Hebr. I. super Angelos extollit Christum, facitque Christum opificem omnium. Conf. Cornel. a Lap. ad h. l. una cum censura Cocceji Comm. ad eundem.

CORRUPTELÆ ECCLESIAE THESSALONICENSIS.

§. XVII. Dum ergo tam in doctrinales, quam in morales Ecclesiarum Apostolicarum corruptelas animadvertimus, Thessalonicensem præter-

præterire non possumus, utcunque satis illustrem, & magno gentili-um converforum & nobilium matronarum credentium numero constantem, Act. XVII, 1. & feqq. Altera nimirum, ad hos miſſa, epiſtola, v. 6. haud oblivifcitur fratrum inordinate incedentium, & non ex tradita doctrina, quam a Paulo acceperant, viventium; a quorum ſingulis Theſſalonicenſes ſeſe ſubducere debeant. Certè *D. Willichius* ad h. l. p. 158. excommunicationem τῶν ἀτάκτων hujusmodi fratrum ab Apoſtolo hic præcipi ſtatuit; quæ putridorum membrorum amputatio tum neceſſaria fuit, ne pars ſincera trahe- retur. Et antecedente capite II, v. 2. rogantur Theſſalonicenſes, ne cito dimoveantur a mente, neque terreantur, neque per ſpi- ritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam, tanquam a Paulo ſcriptam, quaſi iſtet dies ille Chriſti. Cavendum a Pſeu- doprophetis eſſe, commentantibus Beza & Fr. Junio, hic Apoſto- lus monet, quorum triplex fere eſt dolus. Aut enim fictas reve- lationes Propheticas, ſuaque adeo ſomnia & commenta jaçtant, aut ſuas quaſdam conjecturas & rationes afferunt, aut ſuppoſiti- tiis ſcriptis utuntur. Satis nimirum aperte Apoſtolus indicat, ob- ſervante *D. Pomerano* ad h. l. aliquos deceptores illic tair hominum opinione abuſos fuiſſe.

CORRVPTELÆ RELIQVARVM ECCLE-
SIARVM ASIATICARVM, QVARVM IN APO-
CALYPSEOS CAP. II. ET III. FIT
MENTIO.

§. XVI. De Eccleſia Ephesine jam dictum. De Smyrnensi, cujus Episcopos tantopere commendatur a Johanne, Ignatius in Epistola, vulgo ipſi tributa, refert, quosdam ignorantes ibi negaſſe Chri- ſtum, & magis mendacio conſenſiſſe, quam veritati, a quibus ab- ſtinere debeant Smyrnenses, & neque proprium cum his, neque commune habere colloquium. Inſimulat præterea Eccleſiam Per- gamensem Filius Dei, Apoc. II, 14, 15. quod habeat tenentes doctri- nam Baal, & doctrinam Nicolaitarum. Nimirum Antistes ipſe quidem & multi Chriſtiani haud erant addicti doctrinæ Nicolai- tarum; ſed hoc arguitur in illis, quod non ſatis maſcule Nicolai- tas impugnarint, eosque ab Eccleſia excluſerint, ſed foverint; unde

unde periculum fuerit, ne malum istud latius se diffunderet; *Winckelmann. Comm. ad h. l.* De Nicolao Diacono relationes differunt. Excusat eum *Clemens Alex. lib. 2. Strom. p. m. 411.* sic ajens: *Tales autem sunt etiam, qui dicant, se sequi Nicolaum, adducentes ejus Viri aliquid literarum, monumentis mandatum, sed ab eis detortum, nempe τὸ δὲν ὡς ἀρχηδὸν τῆς σαρκί.* Sed ille quidem Vir praclarum significabat, oportere voluptates arcere & cupiditates, & hac exercitatione marcidas flaccidasq; reddere carnis appetitiones & insultus. Et libro 3. *Strom p. m. 436.* circumactionem uxoris in medium Apostolorum, quæ Nicolao tribuitur, vitii depulsionem atque expurgationem fuisse, commemoratur. Conf. etiam *B. Hofmanni Chronotax. Apoclypt. p. 134.* Sed graviter ipsum accusat *Epiphanius Heres. V.* dicens, cum prius fuerit probus & sanctus, postea in eum sese Diabolum insinuasse, ejusq; mentem erroribus imbuisse, ut varias excusationes ad libidinis suæ patrocinium excogitaret; ex quo fonte etiam *Gnostici sint derivati &c.* Confer etiam *Euseb. lib. III. Histor. Eccles. cap. 26.* Quicquid sit, negari nequit, ipsius facto excusasse homines carnales communionem mulierum, ac licentiam carnis suæ, & impudenter effuseque Veneri indulgentes, fornicatos esse. Proin *Ireneus lib. I. cap. 27.* scribit de Nicolaitis: *Indiscrete vivunt, docentes, in mæchando & idolothyto comedendo nullam esse differentiam.*

§. XVII. Thyatirensē Ecclesiam eadem Nicolaitarum pseudodidascalia coinquinârat. Uti ergo hanc in epistola superiore cum doctrinâ Bileami fornicatoria; ita nunc quoque cum doctrinâ Jezabelis Baalitica, eademq; nihilofecius impura, Filius Dei voluit collatam. Proin *Epiphanius de scortillis Montani, Priscilla, Maxilla, & Quintilla, fatidicis mulierculis, quas præviderit Spiritus Sanctus Ecclesiam Thyatirensē collutulaturas esse, Textum Apoc. II, 18. & seqq. exponit.* Sed & Sardensis Ecclesia infelix fuerat, eò, quod Episcopus ipsius nomen habebat, quod viveret, & mortuus tamen erat, III, 1. Apparet, Episcopum istum fuisse hypocritam, & plures ibi repertos ejus similes. Cum enim ille officium boni Pastoris minus expleret, gregem etiam corrumpi, quid, obsecro, mirum? Ad *Philadelphiensem Ignatius Epistolam scripsit, blasphemiis Ebionitarum & Nicolaitarum erroribus oppositam.* In hac præ cæteris notabilia sunt, quæ habet, verba: *Audivi quosdam dicentes: Si non invenero Evangelium in antiquis, non*

non

non credam. Talibus autem ego dico, ὅτι ἐμὸν δεξιὰ ἐστὶν Ἰησοῦς ὁ Χριστός, quod mihi antiquitas sit Jesus Christus, cui non obedire manifestus & irremissibilis interitus est. Restat Laodicensis, cujus Angelus neque frigidus erat, neque calidus; sed tepidus, adeoque evomendus ex ore Filii Dei cap. III, 15, 16. Profitebatur sese divitem; sed miserabilis erat, & pauper, & cæcus ac nudus. His Ecclesiarum istarum morbis quæ medelam applicet Filius Dei, ex laudatis capitibus Apocalypseos, secundo ac tertio, patescit.

§. XVIII. Per has itaque septem Ecclesias totam atque universalem N. T. Ecclesiam remotè & per accommodationem optimè fundatam intelligi, complures ex Interpretum Apocalypticorum choragio existimant, quibus calculum adjicere qualemcunque nostrum haud veremur. Quod autem septem distinctæ N. T. periodi ab his septem Ecclesiis ita designentur, ut locorum differentia ænigmaticè temporum differentiam significet, ceu loquitur Coccejus *Comm. ad Apoc. I. §. 2.* id quidem eatenus molliorem forte interpretationem admiserit, quatenus doctissimus ille Vir l. c. censet, Johannem fecisse septem illas Ecclesias, c. 2. & 3. nominatas, depositarias hujus libri, ut per eas custodiretur, & ad omnes Christianos perferretur. Sed quoniam Coccejus isthanc suæ mentis explicationem passim extendit latius; & Matth. Hoffmannus, Machæropœus dictus, una cum aliis vestigia hæc Coccejana insuper ampliavit, ut nempe terminum ad quem harum periodorum, annum 2401. post Christum natum designare haud dubitaret, & prædicata, particularibus istis Ecclesiis assignata, nulatenus iisdem competere, sed, abdicata significatione historicâ & literali, tantùm prophetica esse, & universali Ecclesiæ N. T. solummodo tribui contenderet; idcirco recedere non lubet à sententiâ, quam diximus *Dissert. de Triumphantium in cælis Ecclesia stollata à pag. 16. n. a. 27.* Conf. B. Dn. D. Carpzovii *Programma anno 1698. d. 24. Aug. in renunciatione VII. Lic. Theol. emissum*; & B. D. Pfeifferum *Hermenevt. Sacr. pag. 25. 26. edit. in 8.* ubi famosam Cocceji stringit hypothesin, asserentis, verba Scripturæ id omne significare ex intentione Spiritûs Sancti, quod significare possint. Uti vero corruptelas aliarum Ecclesiarum Apostolicarum v. g. Romanæ, Corinthiæ, Ephesinæ, in aliis Epistolis proprie & literaliter vult intelligi Spiritus Sancti: Ita simplicissimum est, has quoque nomi-

nomi-

nominatis in Apocalypſeos cap. II. & III. expreſſeꝛq; designatis cœ-
tibus vindicare. Uti verè λῶσαι illæ ad ſimiles aliarum Eccleſia-
rum Novi Teſtamenti λῶσαι; ita & hæ ad eaſdem dexterrimè
transferuntur.

§. XIX. Sed plura, ad enarrationem hujus materiæ factura,
in præſenti congerere nec vacat, nec lubet. Reliquum eſt, ut
eruemus inde nonnullos Anapæſtos porismaticos, noſtrarum quo-
que Eccleſiarum faciem quodammodo repræſentaturos. Primus
eſto hujusmodi: LOLIVM INTER SEMINA CRESCIT.
Non deſunt, qui Chriſtianiſmum noſtrum totum ad normam
magis exaſciatam reduci haud poſſe autument, quam ad Ec-
cleſias primorum Chriſtianorum: Neque etiam ex adverſo de-
ſunt, qui id negatum eant. Nos in medio hîc tutiſſimi ibi-
mus, præcauturi ex alterâ parte ſecuritatem; ex altera verò
omnimodam deſperationem, aut immaturam quoque con-
demnationem. Non eſt, quod licentius argutere: Data ſunt
corruptelæ in Eccleſiis Apoſtolicis: Ergo ita neceſſe eſt, ut den-
tur etiam in noſtris. Quin ſi hoc in viridi factum ligno, ec-
quid in arido fiet? Scandalum Diabolicum eſt, ea, quæ Spi-
ritus Sanctus noſtræ emendationi ſcripta voluit, nobis sedu-
cendis ſcripta interpretari. Verum nec deſpondendus, cum vel
in agris Apoſtolorum Eccleſiaſticis zizania, imo vel in ipſo eorun-
dem Collegio Judam, Chriſti viſibiliter præſentis auditorem, of-
fendamus, eſt animus, ſi charitatem in tot animis refrixiffe, &
impiorum haud paulò uberioſorem dari ſegetem, quam piorum,
deprehendamus. Eſt enim multa Eccleſiis noſtris deficient, quo
minus ad fervorem illum fidei & charitatis, quo, ſanguine etiam-
num in brachiis Martyrum calente, gavifi ſunt antiquiores illi Chri-
ſtianorum cœtus, pertingant; tamen haud leviffimi proſecto mo-
menti ſunt labes & maculæ, quibus iſti noſtros æquiparant. Uti
verò Verbum in ipſorum agris non fuit inane: Ita nec in noſtris.
Uti enim, ſanctitatem Patriarcharum, Prophetarum & Apoſtolo-
rum haud æquiparantes, acquieſcimus tamen & fat habemus, ſi
percipimus, illos peccatorum remiſſione & Filii Dei merito æquè
opus habuiſſe, ac nos: Ita integras quoque Eccleſias Prophetarum
ac primorum Chriſtianorum, utut ſanctiores noſtris fuerint Ec-
cleſiis, tamen nec earundem, quibus noſtræ inquinatæ ſunt, ſor-
dium

dium & macularum expertes fuerunt, agnoscimus. Quocirca alterum tuemur Anapæstum porismaticum:

§. XX. LOLIVM EST IN MESSE SECANDVM. Nempe enim Christi ipsius mandatum hoc fert, ut sinamus utrumque simul crescere usque ad tempus messis. Dabitur mixtura bonorum & malorum; & crescent in visibili Ecclesia filii regni una cum filiis Satanæ usque ad consummationem seculi. Non habemus ergo, quod tanquam novum quid miremur, si viderimus, in nostris quoque agellis infelix subinde lolium & steriles avenas dominari; quandoquidem Christus ipse Ecclesiam visibilem haud luculentius nobis, quam sub agri parabola depinxit, in qua divina longanimitas zizania toleret usque ad messem. Frustra utique sanctitatem, ab omni zizaniorum additamento immunem, visibili huic promittimus Ecclesiæ, cum ne ab Apostolorum quidem manu structis ac fundatis sanctorum congregationibus eadem affuerit. Frustra exterminium zizaniorum universale ante messem expectamus, cum os veritatis illud in messe demum futurum affirmarit. Huc usque durabit piorum & impiorum Ministrorum, nec non piorum & impiorum auditorum mixtura. Quoad notæ visibilis Ecclesiæ, pura nempe verbi prædicatio & legitima Sacramentorum usurpatio, non intereunt, neque invertuntur, antisper Verbum, ceu diximus, omninò inane esse non potest; ametsi pauci sint, qui viam angustam calcent, & tres agri partes infrugiferæ maneant, prædicente Christo Matth. VII, 14. & 15. Luc. VIII, 4. & seqq. Pergimus itaque ad Anapæstum porismaticum tertium:

§. XXI. LOLIVM NE DICITO SEMEN. Tumultuantes in Ecclesiis Apostolicis minus laudari, sed graviter reprehendi animadvertimus: hypocritas præsertim & Pseudoapostolos. Ita ergo nec hodiernum, quotquot scandalosa dogmata ferunt, quibus simpliciorum animos inescant, piis probantur. Sed enim uti non cujusvis est decenter probare spiritus: ita nec oculis corruptis verè credentes ab hypocritis dignosci possunt. Novit Deus, quinam sint sui, & vel ignorante Elia, horum septem milia supererant in Israël. Absit igitur, ut istos impeccabilitatis omnimodæ, inamissibilitatis gratiæ divinæ, ac prohibitionis juramentorum in Nov. Test. ipsimet puro Dei Verbo & articulis Aug.

D

Conf

Conf. duodecimo ac decimo sexto protervè obloquentes defensores, qui præsertim sibimet ipsis male conciliati, & à spiritu vertiginis agitati, velut in multis doctrinæ capitibus, ita in acropoli religionis nostræ, articulo justificationis, quid probent, quidve improbent, impotenter sophisticando ignorant, bonum Ecclesiæ Lutheranæ semen appellemus. Interim quando haud paucos ab iisdem seduci videmus, Supremi Numinis pronœam grati veneramur, quod plures etiam, ad dissentiendum ab eorum anomaliis ac verbis fucatis compositi, nuntium iisdem adhuc mittere consueverint. Agnoscunt enim rectius animati indies magis & magis, ad boni seminis denominationem zelum & in doctrinæ integritate, & in vitæ pietate simul requiri. *Et profecto Theologis omnibus, Ecclesiæ Ministris imprimis hoc negotii incumbit, ut ex Verbo Dei etiam eos, qui ex quadam vel simplicitate, vel inscitia, à Veritate aberrarunt, de periculo salutis suæ ea, qua decet, moderatione, doceant, & contra corruptelas muniant, ne forte, dum cæci cæcorum sunt duces, universi periclitentur,* agentibus Beatissimis Majoribus nostris in Præf. Lib. Concord. Reducat Dominus palantes; & conservet gregem suum in veritate! Resistat etiam disperfori Satanæ, eumque increpet ac pessundet! Convertat eos, qui scandala excitant, & confortet eos, qui excitatis legitime obstant, ut in messe, quâ Angeli exeuntes omnia scandala & eos, qui faciunt iniquitatem, colligent, coram facie ipsius gloriosa, vel temerata doctrinæ, vel neglecti muneris elenctici convicti, ne pudefiant. Quandoquidem novum jam annectere Anapæstum juvat:

§. XXII. LOELIVM, NON ARVA NOTENTVR. Non defuerunt inde usque à Lutheri tempore pii ac fideles Ministri, qui lolium Ecclesiæ nostræ visibilis notarent; neque etiamnum defunt, quæ Supremi Numinis gratia est, qui munere isthoc elenctico & epanorthotico rite defungantur. Nullus autem cordatiorum id egit, aut sese agere posse credidit, ut universam Ecclesiam Lutheranam universalis ruinæ accerferet. Elenchi ipsorum ad loca ipsis incognita minime omnium extendebantur. Ecquî enim aliquid de statu Ecclesiæ nostræ; qualis in Daniæ aut Sveciæ regnis erat, solidè judicare poterant hi aut illi, qui regnorum illorum Ecclesias non satis haberent perspectas? Sic itaque de corruptelis Ecclesiarum particularium, sibi satis notarum, interdum etiam de

de

de mendis unius sibi concredita, capiantur, oportet ipsorum ob-
jurgationes & querimonias. Religiosiores enim ac prudentiores
eos meritò existimamus, quam ut octavo Dei præcepto vim in-
ferentes arva Ecclesiastica, sibi non satis nota, notarent, ac servos
judicarent alienos, suo Domino stantes & cadentes. Præcipitan-
tiæ insuper extremæ rem putarunt, si præcoci ingenii homines,
qui vix duas subinde homilias satis legissent, tertiam illicò recita-
rent scriberentve, & opus reformationis Ecclesiasticæ, quod om-
nium trium Statuum hierarchicorum est, soli auderent. Vide-
bant enim plus damni, quam commodi à præmaturis ejusmodi
nisiibus in Ecclesiam redundare.

§. XXIII. Meretur omnino legi recusa D. Röberi Disput.
de Impedimentis Pietatis, quibus *ὁ μακαρίτης* p. 12, 13. accen-
set etiam doctrinam Weigelianorum, utpote qui contemnant
Sacram Scripturam, ejus autoritatem & perfectionem negando;
prout *Weigelius Postill. pag. 59.* dicat: Du fangst das Urthel nicht aus
dem Buchstaben der Schrift nehmen / sondern vom Wort oder
Geist must du ihn suchen; unde Weigelius literalem Sacræ Scri-
pturæ interpretationem sequentes vocet literales, Buchstäbische
Theologen / *part. 2. Postill. pag. 233.* servos literæ *part. 2. pag. 199.*
illisque opponat alios, qui ex Spiritu S. interpretationem petant,
Guldengriff pag. 58. & sensum literalem vocet umbram & puta-
mina, *Guldengriff pag. 51.* Antichristianum *pag. 63.* expositionem
juxta veterem hominem *in Dial. de Christian. pag. 81.* imo neget
p. 8. daß man ihm solle genügen lassen an dem gepredigten Wort
von der Kanzel / und an den Schrifften über die Biblia. Sed & di-
gnissima lectu est ejusdem Theologi Disputatio *de vitæ Evan-
gelicorum emendatione summe necessaria*, ubi *pag. 37. & seqq.*
egregie ostendit, hanc non esse perversitatis, in Ecclesiis Evange-
lico-Lutheranis obviæ, originem, quod verbo externo tribuamus
vim illam, quæ soli competat interno, quo nomine fanatici nos
appellitent falsche Propheten / Laryen-Geister / Seelen-Mörder /
Buchstäbler / buchstäbische Lehrer / Diener des Buchstabens &c.
& Promotiones nostras Doctorales, Disputationes, Exercitationes
ad imi orci barathrum ablegent, & causas nos faciant sive actores
omnium flagitiorum, Epicurismi & Atheismi, quo ut cataclysmo
Christianus orbis jam obruatur. Sane hunc Enthusiasmum, quo

vocale & extremum verbum, præcedens Spiritus Sancti & gratiæ divinæ largitionem, contemnitur ac damnatur, insitum Adamo & filiis ejus a primo lapsu usque ad finem mundi, & ab antiquo Dracone ipsis veneno quodam implantatum & infusum esse, testatur Lutherus Art. Schmalc. p. 332, 333. Idem in Explicatione Verb. Christi Joh. XVII, 20. *Qui per sermonem eorum credituri sunt in me &c.* Tom. V. Lat. Whiteb. fol. 209. ait: *Contra hoc pugnat, quod quidam Spermologi docent externum verbum contemnere, affirmantes, Spiritum omnia facere debere.* Adde sis B. D. Bajerum *Collat. Doctrin. Quacker. & Protestant. Cap. II. Thes. I. u. a. VII.* Quæ cum ita sese habeant, Apostolorum, corruptelis Ecclesiarum a se fundatarum & fractioni Josephi aliter, quam id audeat spiritus fanatici, consulentium, vestigia legentes, cum Beatis nostris Majoribus inculcamus id, quod ultimus exhibet Anapæstus:

§. XXIV. LOLIVM IN SE QUIQUE REFORMET. Si quis arbitratur, sese esse aliquid, cum tamen sit nihil, ille semetipsum decipit. Deponat ergo ante omnia nævos suos, & deinde super causis corrumpentibus ac vitiis integrorum cœtuum sollicitus sit. Sat multa inveniet, si in sinum descenderit suum, quæ anxia indigeant emendatione ac pœnitentia. Teneat, quod habet, doctroinam vere Lutheranam, & vivat vitam vere Lutheranam; & sic ipsi ad Christianismum practicum & ad veritatem in Christo abunde sufficiet id, quod in Ecclesia Lutherana antiquitus ex puro Dei Verbo traditum est, & sonat etiamnum. Omnino aut hospes in Lutheri & Lutheranorum Theologorum scriptis sit, aut veteri Adamo & affectibus nimium indulgeat, oportet, qui τὴν ἐν χειρὶ ἀλήθειαν veterisque hominis subjugationem & novi quotidianam emersionem, in illis omnium dexterrime inculcatam, inficietur. Interea temporis autem, dum Christianus homo explorando sibimetipsi vacat, probe expendenda sub calcem hujus diatribes ipsi porrigimus, quæ B. Lutherus sub calcem præfationis suæ Apoc. Joh. attexuit: *Es ist d.ß Stück (ich glaube eine heilige Christliche Kirche) eben so wol ein Articul des Glaubens / als die andern. Darum kan sie keine Vernunfft / wenn sie gleich alle Brillen aufsetzt / erkennen. Der Teuffel kan sie wol zudecken mit Aergernissen un. Notten / daß du dich müßest dran ärgern. So kan sie Gott auch mit Gebrechen und allerley Mängel verbergen / daß du*

Du

du mußt darüber zum Narren werden / und ein falsch Urtheil über sie fassen. Sie will nicht ersehen / sondern geglaubet seyn. Glaube aber ist von dem / das man nicht siehet Hebr. XI, 1. Und sie singet mit ihrem Herzen auch das Lied : Seelig ist / der sich nicht ärgert an mir. Es ist ein Christ auch wol ihm selbst verborgen / daß er seine Heiligkeit und Tugend nicht siehet / sondern seine Untugend und Unheiligkeit siehet er an sich. Und du grober Klügling wolest die Christenheit mit deiner blinden Vernunft und unsaubern Augen sehen? Summa / unsere Heiligkeit ist im Himmel / da Christus ist / und nicht in der Welt für den Augen / wie ein Kram auf dem Marckt. Darum laß Aergerniß / Kotten / Ketzerey und Gebrechen seyn und schaffen / was sie mögen. So allein das Wort des Evangelii bey uns rein bleibet / und wirs lieb und werth haben / so sollen wir nicht zweiffeln / Christus sey bey und mit uns / wenns gleich aufs ärgste gehet / wie wir hie sehen in diesem Buch / daß Christus durch und über alle Plagen / Thiere / böse Engel / dennoch bey und mit seinen Heiligen ist / und endlich obsieget.

ADDITAMENTA RESPONDENTIS.

I.

NUm Deus sine intuitu fidei, ex absoluta quadam evidētia seu absoluto & simplici beneplacito quosdam homines ad vitam aeternam elegerit, quosdam vero sine intuitu finalis incredulitatis ex simplici & absoluto odio praterierit, rejecerit & perpetuis inferni ergastulis destinarit, hanc quaestionem B. C. D. brevissimis atq; paucissimis pertractare heic loci nobis propositum est.

II.

Nos statuimus ac dicimus, Deum T. O. M. non ita absolute & simpliciter vitam aeternam aut damnationi aeternae adjudicasse homines, sicuti Adversarii quidam veteres contenderunt, atq; dixerunt, Deum loqui ad impios ac perversos, eum in

finem, ut eo minus audiant, accendere lucem, ut eo magis excacentur, suam proferre doctrinam, ut eo magis induerentur, medicinam adhibere, ut eo minus sanitatem reciperent. Horrenda sane verba! Absit, ut Deum accusemus iniustitiae aut crudelitatis! Absit, ut statuamus, eum delectari morte. Deus noster bonus est, ejusque misericordia durat in aeternum, Ps. XXV, 8. CIII, v. 17. non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat Ezech. XVIII, 32. sua peccatoribus gratia prevenit, & vocat istos in societatem filii sui Jesu Christi 1. Cor. I. 9. quem proponit propitiationem per fidem in sanguine ipsius Rom. III, 25.

III.

Verbum itaque & Sacramenta, Baptismus nempe, quo a vero Deo in gratiam recipimur, & a peccatis nostris mundamur, & S. Cena, in qua verum & substantiale corpus & sanguinem Christi sub benedicto pane & vino accipimus ad animarum nostrarum salutem, haec, inquam, sunt media salutis nostrae. Extra ista nullum vult salvare; & his mediis ita benedixit, ut sint efficacia ad illuminandum, mutandum & convertendum corda nostra. Per haec nobis donatur Spiritus S. sicuti in Aug. Conf. art. V. confitemur. Qui itaque haec media a Deo proposita, & ad salutem nostram ordinata spernit ac negligit, is proprio, ut ajunt, gladio, se jugulat. Atque adeo penes Deum non est culpa, quippe qui omnes homines vult salvos fieri & ad cognitionem veritatis venire 1. Tim. II, 4. non vult aliquem perire 2. Petr. III, 9. sed potius penes homines residet culpa, dum gratiam Dei rejiciunt, repellunt, pedibus conculcant, & semetipsos indignos judicant aeterna vita Act. XIII, 46.

IV.

Exemplum habemus in Judaeis, qui, licet Deus suam gratiam per Prophetas saepissime ipsis annunciari curavit, hanc tamen rejecerunt ac reprobarunt. Dicebant enim Videntibus:
Noli-

Nolite videre; & aspicientibus: Nolite aspicere ea, quae recta sunt. Loquimini nobis placentia; videte errores; auferte viam, declinate semitam; cesset a facie nostra Sanctus Israel Es. XXX, 9, 10. Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te Jerem. XLIV, 16.

V.

Dum itaq; homines Spiritui S. hoc modo perfracte resistunt, Sanctumq; in Israel blasphemant, Deus ut justus Judex & vindex rejicit eos a facie sua, eos dimittit secundum desideria cordis, ut eant in adinventionibus suis Ps. LXXX, 13. In interitu ridet eos & subsannat. Si invocant Deum, ille non exaudit. Si mane consurgunt, non inveniunt eum, eo, quod exosam habuerint disciplinam & timorem Domini non susceperint Prov. I, 26. seqq. Uno verbo: Deus excæcat illorum cor, & aures aggravat, & oculos claudit, ne videant oculis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant, & convertantur & sanentur Es. VI, 10. & hoc modo dicitur Deus indurare cor. Conf. omnino Parab. de quadruplici agro Luc. VIII, 5. & seqq.

VI.


Ne itaq; temere & inconsiderate loquamur de divinis judiciis, sed potius cum Davide taceamus, nec os aperiamus. Deus enim omnia benefacit Ps. CXIX, 137. Justus es, Domine, & omnia tua judicia justa sunt. O altitudo divitiarum, sapientiae & scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia tua, & investigabiles viae tuae! merito exclamo, & sano sensu huc applico Paulinum illud in Epist. ad Rom. c. XI, 33.

VII.

Post Baptismum reliquias peccati manere, patet ex Ps. XIX, 15. XXXII, 6. 1. Joh. I, 8.

VIII.

Rogos aternos decrevisse Deum hominibus finaliter incredulis ex S. Codice satis superq; constat.



IL ne faut pas les Sciences
 Partager ni diviser,
 Quand on cherche bien s'avancer,
 Mais beaucoup plus distinguer.
 Cela vous faites d'un courage,
 Pour trouver vrayment, Monsieur,
 Les tresors de ce Passage,
 En cette Univerſité.
 Orſus, vôtre Nomofophie
 Et vos toutes Actions,
 La Soïn en Theologie,
 Dieu benisse, qui est tres-bon!

*Monsieur BECK,
 cette Douzaine des Vers
 me procede, que de Vôtre fort-obligeant*

C. A. Laemmermann,
 Etudiant des Droits.



Coll. diss. A. 114, misc. 54

